

aliquem publici officii consilio seu gestis accommoda-  
 2 tus. Hic filium suum Gallienum Augustum fecit Gal-  
 3 lienique filium, Cornelium Valerianum, Caesarem. His  
 imperantibus Regillianus in Moesia, Cassius Latienus  
 Postumus in Gallia Gallieni filio interfecto imperato- 5  
 4 res effecti sunt. Pari modo Aelianus apud Mogontia-  
 cum, in Aegypto Aemilianus, apud Macedonas Valens,  
 5 Mediolani Aureolus dominatum invasere. Valerianus  
 vero in Mesopotamia bellum gerens, a Sapore Persa-  
 rum rege superatus, mox etiam captus, apud Parthos 10  
 6 ignobili servitute consenuit. Nam quamdiu vixit, rex  
 eiusdem provinciae incurvato eo pedem cervicibus eius  
 imponens equum conscendere solitus erat.

33 Gallienus quidem in loco Cornelii filii sui Salo-  
 nianum, alterum filium, subrogavit, amoris diverso pel- 15  
 licum deditus Saloninae coniugis et concubinae, quam  
 per pactionem concessa parte superioris Pannoniae a  
 patre, Marcomannorum rege, matrimonii specie susce-  
 2 perat Pipam nomine. Novissime ad ersus Aureolum  
 profectus est. Quem cum apud pontem, qui ex eius 20  
 nomine Aureolus appellatur, obtentum detrusumque  
 Mediolanum obsedit, eiusdem Aureoli commento a suis  
 3 interiit. Regnavit annos quindecim, septem cum patre,  
 octo solus. Vixit annos quinquaginta.

34 Claudius imperavit anno uno mensibus novem. 25  
 2 Hunc plerique putant Gordiano satum, dum adulescens  
 a muliere matura institueretur ad uxorem. Hic Clau-  
 dius Gallieni morientis sententia imperator designatur,  
 ad quem Ticini positum per Gallonium Basilium in-  
 dumenta regia direxerat, extinctoque a suis Aureolo, 30